



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

3. De effectu majoris excommunicationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](#)

et ea, quam fertis, qui non potest, vel fert aliter  
vel ob aliud, quam debet. Injusta est duplex: alia  
injusta valida, qualis est ea, quam Judex legiti-  
mus in eis, qui meretur excommunicari, sed ex  
odio, aut non inscriptis, nec post triah moniti-  
onem, vel alijs similibus modis fert. Nam ut aliae  
sententiae, licet sint injustae, regulariter veleant  
quod forum exterius, & earum virtute in reum  
tanta est executio, quanta justarum e *Cum inter  
sup De sent. & re iusta l. in re Iud. ff. De R. I. ita*  
& excommunicatione injusta invalida esse potest,  
& ideo dicit Juris textus, excommunicationem  
injustam semper esse timendam. Alia est injus-  
ta nulla, & irrita: & haec nullo modo timenda  
est, ut si quis excommunicetur exemptum, vel suæ  
jurisdictioni non subditum, e *Cum capella c.  
Quando sup. De priv. legijs & Nullus sup. De pa-  
rebus vel cuius, qui ante latram sententiam ex-  
communicationis legitimè & ex sufficienti cau-  
sa appellavit, e. Per tuas 40. e. Ad præsentiam  
sup. De Appell vel si continet intolerabilem er-  
torem Iuris, ut si quis excommunicetur, quia  
non committit peccatum mortale can. Quis resi-  
git xi. q. 3. vel si Judex ferens sententiam non  
intendat ligare, nam excommunicatione sumit vi-  
tes ab intentione, vel si feratur à delegato in  
casu sibi non permisso; aut contra intentionem  
delegantis, e. fin. sup. De præbend. vel à Judge  
excommunicato, interdicto aut suspenso, *Glos.*  
in e. *Præsenzi hoo tit. in 6. ubi plures causi nulli-  
tatis colligit Piaſ. d. art 13. n. 10. & II. suspensi-  
o, in qua, à jurisdictione. Alioquin suspensus  
ab Ordine tantum ea exercere potest, quæ sunt  
jurisdictionis, tenerq. ex communicatione sicut &  
suspensus ab Ordine tantum potest ea facere, quæ  
sunt jurisdictionis, *Piaſ. d. c. 4. art. 12. n. 5. & 6.***

## §. III.

## De effectu majoris excommunicationis.

1. *Privat participatione Sacramentorum.*
2. *Suffragii Ecclesiæ, electione.*
3. *Suspendis ab officio & beneficio.*
4. *Liberas subditos ab obedientia superiorum ex-  
communicatorum.*
5. *Non potest taliter excommunicatus esse testis.*  
*Sc.*
6. *Mortuum privandus est Ecclesiastica sepul-  
chra.*

1. IN primis privat hominem participatione  
quā activā, quā passivā sacramentorum, ita  
ut ea nec accipere, nec dare possit. Ad eō usū der,  
fiat irregularis; exceptio casu necessitatis

2. Secundō, privat hominem suffragijs genera-  
libus Ecclesiæ, ita ut non licet pro excommuni-  
cato publicē & nomine Ecclesiæ orare. Item  
communicatione cum fidelibus, tam in divinis,  
quam convictu: & usū sacri Ordinis, quem si ex-  
communicatus scienter exerceat, sit irregulari-  
tate Papæ reservata, e. 2. sup. *De Clerico excom-  
municato, & e. I. qui habet b. t. in 6. quam irregu-  
laritatem non incurrit minori excommunicati-  
one excommunicatus, e. Si celebret, sup. *De Clerico  
excommunicato*, prout nec qui appellat à senten-  
tia excommunicationis, de qua probabiliter du-  
bitat, an sit valida, licet postea declaratur male  
appellasse, *Piaſ. d. loco n. 27. & 28.**

3. Insuper privat electione, tam activā quam  
passiva, ad officia Ecclesiastica vel dignitates  
seculares, e. *Venerabilem sup. De electione:* an-  
nullat collationem beneficij factam excommuni-  
cato.

4. Similiter electionem, præsentationem, per-  
mutationem Beneficiorum, & impetracionem  
litterarum Apostolicarum: suspendit ab officio  
& beneficio ad eō ut, quādū quis est excom-  
municatus & in mora petenda absolutionis, sit  
incapax fructuum beneficij, reseaturque si illos  
recipiat restituere. Si tamen habeat officium pu-  
blicum, valebunt acta per eum ratione illius offi-  
cij v. g. sententia & alij actus juridici, si sit Ju-  
dex, quādū ab Ecclesiæ toleratur, quia quam  
Ecclesia eum tolerat, non privat eum juris-  
dictione, sed tantum ab ea suspendit ob gravia &  
multa in commoda, quæ alias sequentur. Si  
autem non toleretur, actus ejus erunt nulli.

5. Præterea liberat subditos ab obedientia su-  
periorum excommunicatorum, si utique sint de-  
nuntiati aut notorij Clericorum persecutores, ita  
ut ne quidem absque peccato possit illis ser-  
vire, can. Nos Sanctorum, can. Iuratos xxxv.  
quaest. 6.

6. Adhæc non potest talis excommunicatus  
esse testis, advocatus, actor, procurator, e. fin. sup.  
*De procurat.* Potest tamen esse reus, seque in ju-  
dicio etiam pér se defendere, & alia, quæ ad de-  
fensionem necessaria sunt, peragere, e. *Intellexi-*  
*mus sup. De judicis.*

Nee

Nec obstat, quod ibi dicatur, debere per alium respondere: quia vel verbum debet referendum est ad verbum respondere, illud enim per se & directe agebatur, & quarebatur in illo textu: ita ut additum sit, per alium, ad indicandum convenientem modum pro evitanda communiione. Vel intelligendum est, debere saltim per alium respondere.

Licet autem de jure disputetur, an excommunicatus non tamen hereticus, aut reus laesae Majestatis possit condere testamentum, prout videtur licet apud Glos. in c. *Decernimus in V.* Et testificando h.s. in 6. ubi in negativam magis inclinat: tamen verius videtur potuisse testari, licet illiciter Notarius & testes cum eo communicarent, Zyp. h.s.n.5. ubi dicitur quod hodie licet conficiant testamento: sicut & in plerisque locis etiam heretici, ut in Germania, post Interim, ut vocant Caroli V. qua de re pro Belgio videtur eundem Zyp. Tit. *De hereticis.*

7. Denique mortuus in excommunicatione rati, Ecclesiastica caret sepultura, &c., si sepultus sit in loco sacro, ejusque corpus vel ossa discerni queant, exhumari debent & abiici, & *Sacris sup. De sepult. Quod intelligunt quidam de denuntiato & notorio Clericorum percusso.*

#### §. IV.

##### De effectu minori excommunicationis.

1. *Privat perceptione Sacramentorum passiva.*
2. *Diponit ad irritandam electionem ad beneficia.*
3. *Taliter excommunicatus peccat corde tamen venialis conferens sacramenta.*
4. *Interposita appellatione non suspenditur effectus excommunicationis late sed bene & ius declaratio.*

1. **E**ffectus ejus sunt tres præcipui: Primus est privationem passiva Sacramentorum perceptione: ita ut si suscipiat, peccet quidem, non tamen fiat irregularis, c. *Si celebras sup. De clericis excommunicatis.*

2. Secundus, quod electionem ad beneficia reddat talem, ut meritè irritari possit, licet tam de facto non irritet, d.c. *Si celebras.*

3. Tertius, quod tali excommunicatione intendatur conferens Sacramenta peccet veniae

liter, Covat. in c. *Alma mater*, p. 1. §. n. 8. 12.

4. Præterea effectus excommunicationis in genere est, quod non suspendatur appellatione post latam sententiam interposita, c. *licet h.t.m.*  
6. quamvis declaratio excommunicationis appellatione suspendatur, Glos in c. *Cupentes in V. Privatos de elect.* in 6. ita ut liceat communicare cum declarato excommunicato, durante appellatione, nec ipse celebrans incurrit irregularitatem, si dubitet de valore excommunicationis aut confidat suæ appellationi. Quamvis strenuus in talibus abstineret ab illis actibus qui inducunt irregularitatem ob vulgarum axioma quod etiam iniusta excommunicatione liget, quodque salutarius animæ sit secundum, *Paul. d.c. 4. art. 13. sub n. 2. 8. versic. Notandum. Insuper excommunicatione suspendi non potest, sed vel statim ligat vel statim nulla est, c. Pastorale sup. de appella.*

#### §. V.

Quinam excommunicare possint,

1. *Possunt quicumque jurisdictionem Eccles. habent in foro externo.*
2. *Episcopus existens extra diœcesin non potest.*
3. *Potest extraneos in sua diœcesi & ius in aliena.*
4. *Possunt delegati potestam habentium.*
5. *Laici & mulieres non possunt, & nemo seipsum nec parem nec superiorum,*

1. **P**rimo generaliter, qui habent ordinariam jurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori: ut in primis summus Pontifex tanquam universalis Ecclesie pastor Episcopi etiam ante consecrationem: quia potest excommunicandi pertinet ad clavem jurisdictionis, Covat. in d. l. *Alma mater* §. II. n. 1. Omnes item Pralati majores & inferiores Episcopis habentes jurisdictionem ordinariam in foro exteriori: ut Abbates, Praepositi Ecclesiarum collegiarum regularium & secularium etiam non benedicti, Priors absoluti qui non constituantur ab ipso Abate, sed per electionem: Item Capitulum sede vacante, generales Ordinum & generaliter quicumque habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, & sic de similibus.  
2. *Etsi autem Episcopus extra suam diœcesim existens*